



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483


Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117816

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)



PRÆFATIO.



Cum nostra ætate ad Historiam Ecclesiæ Dei, nobilissimam illam ac utilissimam Disciplinam, quæ Theologiæ ac Sacratiori Jurisprudentiæ operam dantibus facem præfert, non viros Catholicos modo sed etiam Protestantés legendam scribendamque studiosissime incumbere videamus, non immerito Protestantibus, Historiam Ecclesiæ alienæ scribere attentantibus, illud ferme objicere possumus, quod Tertullia-

) (2

nus

PRÆFATIO.

nus Libro de Præscript. sui ævi Sectariis, Sacram Scripturam explicare temere volentibus, exprobravit; Cur falcem in alienam messem mittitis? ibi enim dicit, Illis, qui extra Ecclesiam existunt, de Sensu S. Scripturæ disputandi nullum jus esse, nec id ipsis ullatenus concedendum, sed ante omnia, quænam Pars sit in Possessione Sacræ Scripturæ, esse discutiendum.

Interpres Fleurii Protestans in sua Præfatione Historiam Ecclesiasticam his verbis definit; quod sit, *Narratio fide digna Rerum Gestarum in Ecclesia Dei.* Transeat Definitio. Sed utique Interpres Protestans voluerit scribere Historiam illius Ecclesiæ, in qua ipse existit, & cujus membrum se esse profiteretur? cur igitur Historiam Ecclesiæ, a Viro Romano-Catholico scriptam, suis Lectoribus communicat? cur enarrat Res gestas illius Ecclesiæ, quæ per omnia Sæcula in Communione Romani Pontificis fuit, eundemque tanquam **Supremum in terris**

PRÆFATIO.

terris Caput a JESU Christo sibi datum venerata est? Quid huic Ecclesiæ, & Ecclesiæ viri Protestantis commune est? Cur non potius in lucem edidit Historiam illorum hominum, qui a Sæculo circiter quarto (videlicet illo, quo perniciem in Ecclesiam Christi invectam putat Interpres noster) usque ad Sæculum XV. Sedem Romanam abominati Romanum Pontificem Anti-Christum, & Romanam Ecclesiam Apocalypticum illud Probrum esse affirmarunt? vir Protestans, si Historiam Ecclesiæ suæ vulgare volebat, Historiam Ecclesiæ a Romano-Catholica separatæ nobis exhibere debebat; at cum hoc non posset, nam tunc Ecclesiæ suæ Originem prodere puduisset, Historiam Romano-Catholicæ Ecclesiæ a viro Catholico scriptam in vernaculum sermonem transtulit. Nulla ergo ante Lutheri tempora hujus Interpretis Ecclesia fuerit necesse est, cum nulla illius detur Historia.

PRÆFATIO.

Idem Interpres Præf. suæ pag. 17. dicit, Libros Novi Testamenti tandem in publicis Ecclesiæ Conciliis tanquam Authenticos fuisse declaratos, & tanquam Doctrinæ Christianæ Regulam, ad quam omnia Doctorum effata, & sparsi Errores probarentur, propositos fuisse. Optime! nisi quod Interpretem id quoque adnotare oportuisset, nullum unquam Concilium creditum fuisse legitimum, quod non Fide & Communione Ecclesiastica cum Romano Pontifice esset conjunctum, & rursus eandem utique Auctoritatem, qua definitum est, quinam Libri sint Authentici, etiam ad explicandum illorum Sensus, quotiescunque de eo inter Christianos dissensio oritur, esse necessariam.

Sed ne longior sim, ad te convertor, Lector Benevole! Hanc quoque Historiæ Ecclesiasticæ Partem dignam crede, quam pervolvas. Occurret Hæresiarcha Nestorius, Antiochia ad regendam Ecclesiam Constantinopolitanam accersitus, homo sicut natura eloquens ita etiam arro-

PRÆFATIO.

arrogans, docens Beatam Virginem Mariam non esse appellandam Θεοτοκον seu Deiparam, & Judæos non crucifixisse Deum, in Synodo Ephesina damnatus, & tandem in Exilio tabe consumptus. Occurret S. Leo Magnus Sæculi sui Decus atque firmissimum Doctrinæ Orthodoxæ fulcrum, qui Epistola ad Flavianum data ringentibus licet Adversariis Hæresin prostravit. Occurret Eutyches Abbas Constantinopolitanus, negans Christi Carnem nostræ similem, & duas in una Persona Naturas, in quem quarta Synodus Oecumenica celebrata. Facile perspicias singularem Dei in regenda Ecclesia sua Providentiam, & utramque Hæresin finem non fuisse habituram, nisi Summa illa a Christo collata, quam omnes omnique tempore Christiani Catholici agnoverunt, in Romanis Pontificibus Auctoritas resideret. Lege

& Vale!



X 4

CON-